

cum panis benedictus dicitur esse Corpus Christi :
 Vinum benedictum dicitur esse sanguis Christi :
 tùm neque metonymia, neque figura ulla alia
 locum habere potest.

35. Quim imò, cùm in hoc locutionis genere,
 non fructus Sacramenti, pro ipsa substantia Sa-
 cramenti ponatur : sed, ut dictum, pars una
 οὐσαλινὴ de altera prædicetur : constat hanc lo-
 cutionem, ne Sacramentalem quidem propriè,
 multò minùs regularem dici posse aut debere.

36. Relinquitur ergo rectè eam à nobis Inusi-
 tatam, hoc est, mysticam & singularem statui,
 talem nimirum, cuius ratio pendeat ex Unione
 Sacramentali, quæ est tota arcana atque my-
 stica.

37. Grunniunt hìc Sacramentarij, & nobis ne-
 scio quam ἀσυσσίαν vel ἀντίφασιν obijci-
 unt : contendentes verborum institutionis ῥητὸν,
 cum modo prædicationis inusitato, sine contra-
 dictionis implicatione stare nullo modo posse.

38. Atqui verò non attendunt nasutuli isti,
 ὡσαύτως isthæc duo à nobis non statui, sed di-
 verso respectu : ac ῥητὸν quidem respectu singu-
 lorum vocabulorum : modum verò prædicatio-
 nis inusitatum, respectu totius prædicationis à
 nobis asseri. Vnde an ulla sequatur ἀντίφασις,
 iudicet is, qui Logica vel mediocriter saltem gu-
 stavit principia.

Quid ?